AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XII. NOVEMBRIS, MAGISTRO IOANNE BERAVLT DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An præstet gracilem esse, quàm obesum?

HOMO, Diuinum animal, & corpore & animâ immortalis esse cupit. Animam immortalem origo facit, eadem caducum corpus, cui quantum potest longæuitate succurrit. Obstat tamen mundi senium quod infirma reddit & breuioris vitæ corpora: vtrumque vitæ principium nulla arte reparabile: propria vniuscuiusque corporis natura. maiora, paruis; sanguinea, exanguibus; benè dentata, indentatis; perfecta, insectis; gracilia, obesis μακροβιώτερα.

SED magis incerta sanitas, quæ similibus & dissimilibus iuuatur, quemque non æque iuuat. quædam intemperata sana sunt, & temperatis diutius viuunt. Time vbi εὐεξία, quam efficit bona Temperies, non σταθμῷ, quæ verè figmentum est, sed iustitiâ metienda. Habent quò gaudeant calidarum regionum incolæ, iis cum venæ εὐρεῖαι, cutis rarior, ventres, ossáque latiora, graciles existunt, vitæque sunt salubrioris & diuturnioris quàm frigidarum: habent & viri qui mulieribus calidiores gracilescunt magis.

CALOR natiuus gracilibus potentior, pulsus vehementior, sanguinis, seminis, & spirituum maior copia. obesis corpus breuius, venus segnior, conceptus rarior, partus difficilior. Frustra ad speciei propagationem aquæ quæruntur minerales: labore, vigiliis, diæta minuendus habitus, deponenda adipis, & quæ ex ea exurgit excrementorum sarcina. Succurrit therapia vomitu, quem & per inferiora purgationi, & ipsi venæ sectioni prætulerim.

FVGE quæ pinguem aqualiculum propenso sesquipede extendunt, desidiam, somnum longiorem, præsertim meridianum, cibi & potus ingluuiem, vinum meracius. aquâ qui vtuntur saniores & viuaciores puto. Alimentum si detur, naturæ εὐπρόσφυτον quod vixerit, non elementum, non medicamentum, non venenum, non aurum illud potabile, in substantiam præmissa alteratione vertetur, non in adipem frigoris sobolem, à qua pulsus ἀμυδρὸς, μαλακὸς corporis & mentis segnities, timiditas, ingenium minus acre, phantasia debilis, memoria felix minus.

HÆC beatam minus vitam faciunt: quæ sequuntur miseram. siquidem ex prauorum humorum copiâ, excrementorúmque prouentu morbi multi, acuti, longi. apoplexia quam omnis facit humor, lethargus, carus, paralysis, arthritis, febris putrida, hydrops, quem pinguedo in imo ventre insanabilem facit. obesis quàm gracilibus mors repentina magis, his paulatim consumpto humido, illis momento obruto.

Ergo præstat gracilem esse quàm obesum.

Proponebat Lutetiæ THOMAS GAMARE Parisinus, A.R.S.M. M.DC.XX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus le Conte.	*M. Ioannes Maunoir.*	*M. Franciscus le Sage M. R.*
M. Ægidius le Blanc.	*M. Claudius Geruais.*	*M. Georgius Cornuty.*
M. Guillelmus de Vailly.	*M. Franciscus Guenault.*	*M. Guillelmus du Val M. & P. R.*

